

eram sine ea non posse intelligi; sed hoc tantum volo, eam inter media humanâ industriâ parata v. c. antiquitatum, geographiæ & talium, notitiam non ultimum mereri locum: ita ut loca quædam clariorem hinc lucem adipisci queant. De philosophia Ebræorum res est notior, quam ut pluribus demonstrari velit, postquam id doctissime præstitum est *in observationibus selectis ad rem literariam pertinentibus*, quæ Halæ prodeunt. *p* Illustrat ibi celeberrimus Autor ex doctrina philosophica Ebræorum *de decem sephiroth* orationem dominicam aliaque novi fœderis loca, quæ huc transcribere merito supersedemus. Dare voluit etiam hujus rei specimen CAMPEGIVS VITRINGA *q* in commentario, quem excudi curavit Franequeræ ad Joannis Theologi apocalypsin, quum & his literis deditus, & aliis ante ipsum jam notatum sit, multa veteris Cabalæ ad hanc intelligendam plenius facere collationem. Imo plura cognituros speramus eos, quibus adire lubet summe reverend. DN. BVDDEI introductionem ad philosophiam Ebræorum, ut & CAMPEGI VITRINGAE *r* sacras observationes, quæ licet quandoque a via incedant, tamen dissensu suo omnem, quem promittimus, usum non facient irritum.

§. XV.

Minus expeditus videri poterat usus historiæ philosophiæ gentilis in interpretatione novi fœderis, qui nunc *item in* paucis est tangendus. Mihi is non videtur dubius, dum *interpretatione* considero plurimos hujus libros *ad gentiles conversos, aut N. T.* *adversus eosdem esse scriptos*, cum negari non possit sacros scriptores, pro mansuetudine spiritus, quo agitati creduntur, tam faciles fuisse, ut etiam loquendi modum sequu-

*p* Vid. Tom. I. obs. I. § XVI.

*q* Vid. JACQV. BERNARD dans ses nouvelles de la republique des lettres. Mars. 1705.

*r* L. I. c. IV. V.